

(vt clarius dicam) a longissimis retrorsum temporibus petita. Cicero in diuinatione. Neque enim magis animos hominum nocentium res vlla commouit: quam hæc maiorum consuetudo longo interuallo repetita atque relata. Non ab re igitur hæc locutio repetita die a iuriscōsultis usurpatur pro eo quod antedatam appellant: vt infra de fide instrumentorum: repetita quidem die cautionem interponi non debuisse & reliqua. Vbi dies pro tempore intelligi debet: cum fœminino genere sit positum: vt in illa locutione annua bima trima die. Iuuenalis saty. decima. Longa dies igitur quid contulit: Et Vergilius. Multa dies variusque labor mutabilis qui Rettulit i meli.

Ex. l. pri. de ser. corru. §. quod ait p̄tor.

¶ Sed persuadet græce etiam bonum consilium quis dando . potest suadere & malum. Lego sed persuadet græce κατὰ πείθει etiam bonum. & reliqua. Suadere est hortantis & impellentis: persuadere exorantis & perpellentis. Suadere actus & affectus: persuadere effectus. Cicero in philip. secunda. Duo tamen tempora inciderunt in quibus aliquid contra Cæsarem Pompeio suaserim: ea velim reprehendas si potes. Vnum ne in quinquentium Cæsari imperium prorogaretur: Alterum ne pateretur fieri vt eius absentis ratio haberetur. Quorum si vtrumuis persuasisset: in has miseriae nunquam incidissemus. Propterea finem rhetorices nonnulli ad persuadendum vim rettulerunt: vt auctor est Quintilianus in secundo: quod tamen ipse non probat. Vt qui officium oratoris in benedicendi scientia: non euentu positum esse censuerit. Laurentius vallengis persuasionem proprie vocari posse contendit quam latini Christiani fidem: græci πίστιν appellant: hoc est certam quandam opinionem & sententiam quam nobis persuasimus. Id quod mihi Laurentius recte celsuisse videtur cum a verbo græco πείθομαι id est persuasi mihi: Pistis apud eos dicatur: quam nos fidem dicimus. Hoc autem ex Quintiliano liquet: qui libro quinto sit inquit. Pro certis autem habemus quæ legibus cauta sunt: quæ persuasione si non omnium hominum: eius tamen ciuitatis aut gentis in qua res agitur in mores recepta sunt. Latine autem fides in hoc significato certam diuinationem non habet: Sed græcorum imitatione usurpatum est ab antesignanis fidei Christianæ: qui aliud verbum significatius esse nullum existimabant. Suadendi & persuadendi differentiam Augustinus libro secundo de ciuitate: his verbis expressit de Platonis Politia loquens. Confer nunc Platonis humanitatem a ciuibus decipiendis poetas vrbe pellentem: cum deorum diuinitate honori suo ludos scenicos expetente. Ille ne talia vel scriberetur: et si non persuasit: disputando tamen suasit leuitati lasciuiaque græcorum: Isti vt talia agerentur: iubendo extorserunt grauitati modestiaque Romanorum. Persuadere græce catapithin dicitur vt suadere pithin. Inde pitho dicta est dea dicendi preces: quam Ennius suadam: Quintilianus persuadendi deam: suadelam Horatius: Cicero leporem vocat. Hæc & flexanima dicitur quasi animum flectens: a græcis psychagogos quasi ductrix & oblectatrix animæ. Huius autem deæ quæ sanctum olim numen apud gallos fuerit: nos verbis Luciani auctoris græci ostendemus quæ nobis ob hoc verteda esse duximus. Hercules (inquit) apud celtas ogmios lingua ver

Suadere
& persuadere,

Persuasio

Suada.
Suadela.
Lepos.
Galli oli
elegantiæ
studiosi.